



**R.P. Ioannis De Lvgo Hispalensis, É Societate Iesv, Jn  
Collegio Romano Eivsdem Societatis Olim Theologiae  
Professoris, nunc S. R. E. Cardinalis, Dispvtaiones  
Scholasticae, & Morales, De virtute, & ...**

**Lugo, Juan de**

**Lvgdvni, 1666**

§. An dinersitas præceptorum, quæ violantur, sit explicanda.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82358](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82358)



Ratio horum est, quod tactus priores, & posteriores faciunt unum, & idem peccatum numero: in quo licet quoad aliquam sui partem non sit illa malitia sacrilegij, vel stupri, sufficit, quod sit quoad aliam partem; iam enim illud peccatum, quod est unum solum, participat verè illam speciem sacrilegij, vel stupri. Nec obstat, quod alia pars eiusdem peccati videatur participare illam aliam speciem fornicationis simplicis condistincta à sacrilegio; respondetur enim non posse esse distinctionem specificam, ubi non est distinctio numerica: nihil enim potest differre specie à seipso. Cum ergo illæ partes posteriores faciant unum, & idem numero peccatum cum prioribus propter unitatem moralem: non potest dici, quod participant speciem fornicationis simplicis; hæc enim in rigore sumpta significat peccatum, quod nullam aliam habeat malitiam: illud autem peccatum habet verè aliam malitiam sacrilegij: ergo non habet malitiam fornicationis simplicis, nisi quatenus fornicatio sumitur præcisè, propterea est species subalternata præscindens à simplici, & à mixta cum alia malitia: hanc enim malitiam fornicationis verè habet illud peccatum; sed hæc non est species atoma, nec reputatur cum sacrilegio.

Eodem ergo modo in casu nostro dicendum est tactus, qui præcedat copulam, & ordinantur ad ipsam, facere unum peccatum moraliter cum ipsa copula: in quo peccato non est sola malitia tactus, sed etiam malitia copulæ consummatæ, quæ explicata, iam explicatur sufficienter tota malitia specifica illius peccati. Dices: non explicatur malitia specifica tactus, quæ per nos est diversa à malitia specifica copulæ. Respondetur malitiam tactus posse dupliciter considerari. Primum propterea est delectatio ex contrectatione illicita, & turpi alicuius personæ. Secundò propterea est delectatio sistens in illo tactu, & non progrediendo ad copulam carnalem. Prior malitia reperitur quidem in illis tactibus, & explicatur satis, explicata copula, quia copula etiam habet illam malitiam. Posterior verò, quæ est quasi species negativa ex eo, quod non habet malitiam copulæ, non explicatur explicata copula, sed nec reperitur in illis tactibus: quia cum in casu posito faciant unum peccatum cum ipsa copula: non potest dici, quod in illo peccato sit malitia tactus puri, & sistens in mero tactu absque copula: nulla ergo species malitiæ restat in illo peccato, quæ non explicetur, licet fornicatio addat malitiam specificam necessariò explicandam supra malitiam simplicis tactus libidinosi.

Circa hoc peccatorum genus potest esse secundum dubium, an in peccato Sodomitæ debeat peccatens explicare, fueritne agens, vel patiens. Negat Alfonso de Leone in tract. de offic. & potest. Confratrum par. 1. recollect. 9. numero 216. & 218. quia utriusque peccatum pertinet ad eandem speciem peccati contra naturam. Quam sententiam videtur etiam approbare Diana tom. 2. tract. 4. de Sacram. resol. 156.

Ego tamen explicandum puto: quia ex parte agentis interuenit pollutio propria, quæ non interuenit ex parte patientis: diuersum autem peccatum specie est voluntariè pollui, vel solum cooperari pollutioni alterius; aliud enim est cohibere delectationem propriam illicitam; aliud non procurare alienam. Et quamuis ipse etiam patiens habeat aliquo modo tactum impudicum, & delectationem turpem, (quod tamen non videtur quoad delectationem vniuersaliter verum, negari tamen non potest, pollutionem ipsam diuersam malitiam explicandam asserre supra simplicem tactum impudi-

cum: qui enim sine intentione, aut periculo pollutionis tangeret propter turpem solum delectationem tactus, non contrahit malitiam, quam contrahit, qui ex intentione pollutionis id facit: vnde iste debet explicare peccatum pollutionis, quam procurauit, & habuit: ergo de primo ad vltimum in peccato sodomitico agens debet explicare circumstantiam illam propter malitiam specie diuersam, quam asserit.

§. 2. An diuersitas præceptorum, quæ violantur, sit explicanda.

Tertio dubitatur de eo, qui suo peccato violauit diuersa præcepta, v. g. qui violauit ieiunium debitum propter quadragesimam, & simul propter vigiliam alicuius Apostoli; vel omisit Missam die Dominica, in qua erat festum sancti Ioannis, &c. an debeat hoc explicare in confessione, vel sufficiat dicere, violauit ieiunij præceptum; non audiui Missam die festo, &c.

Certum est, si præcepta diuersa sint solum ratione temporis, quatenus idem superior sapius eandem rem præcepit; vel eius successores, eandem rem præceperunt, non esse id explicandum in confessione: sicut si aliquis violet votum, quod pluries emisit, & renouauit, non ideo contrahit circumstantiam explicandam ob repetitionem voti. Difficultas est primò, quando superiores sunt diuersi materialiter, & formaliter, hoc est, ipsa dignitas, & potestas diuersa, vt si Rex, Episcopus, & Papa idem præcipiant, an contrahantur diuersæ malitiæ ex multiplicatione præcepti, quod violatur. Secundò, quando præcepta sunt de eadem re materialiter, sed ratio præcipiendi est diuersa, vt quando præcipitur ieiunium; tum quia est quadragesima; tunc ob honorem alicuius sancti, cuius vigilia est, an tunc contrahatur duplex malitia specialiter explicanda.

Circa primum aliqui, quos refert Vasquez 1. tom. in 1. 2. disput. 98. cap. 1. docent, quando idem, quod lege naturali prohibetur, rursus prohibetur lege humana, peccatum habere duplicem speciem malitiæ, v. g. contra iustitiam, cui furum opponitur, & contra obedientiam Principi debitam, qui furum prohibet. Contraria, & verior sententia communis est apud Theologos, quos referunt, & sequuntur Vasquez loco citato. Salas 2. tom. in 1. 2. tract. 13. disput. 3. sect. 2. Thom Sanchez lib. 9. de matrim. disput. 15. num. 6. & alij Recentiores communiter: qui dicunt, diuersitatem solum præcipientis non variare præceptum in specie, si ex eodem motiuo proximo omnes præcipiant; quia semper remanet res præcepta in eadem specie honestatis; v. g. in exemplo posito motiuum proximum prohibendi furum semper est eadem honestas iustitiæ; vnde violatio vtriusque præcepti semper erit in specie iniustitiæ.

Contra hanc communem doctrinam aliqua sunt difficultates. Prima est, quia licet obedientia Deo debita, & superiori humano vtrique sit obedientia, & vtriusque violatio sit inobedientia: non tamen videtur vtrique pertinere ad eandem speciem. Nam reuerentia etiam debita Deo, & reuerentia debita homini, vtrique est reuerentia, & vtrique opponitur peccatum irreuerentiæ; & adhuc irreuerentia in Deum differt specie ab irreuerentia in hominem propter diuersum titulum excellentiæ, quo vtrique reuerentia debetur. Cum ergo titulus superioritatis, propter quem Deo obedientia debetur, sit aded diuersus à titulo superioritatis, propter quem debetur obedientia superiori humano; consequens

244.

245.

246.

An obedientia debita Deo & homini sint eiusdem speciei.



sequens est, ut inobedientia etiam contra Deum differat specie ab inobedientia contra hominem, atque adeo utriusque malitia debeat in confessione explicari.

247.

Nec satisfacit solutio eorum, qui dicunt, speciem inobedientiæ non contrahi, nisi quando ex contemptu violatur præceptum superioris: hoc enim licet verum sit de specialissima specie inobedientiæ, falsum tamen est, si intelligatur de omni prorsus malitia inobedientiæ: nam sicut in aliis materiis sufficit indirecte, aut materialiter tendere in obiectum prohibitum ad contrahendam malitiam, licet non feratur voluntas formaliter in ipsam prohibitionem; sic in materia obedientiæ, ut aliquis peccet contra virtutem obedientiæ, non est necesse quod intendat formaliter ipsam inobedientiam, sed sufficit prævidere prohibitionem, seu præceptum superioris, & velle operari contra illud: & quidem negari non potest, quod idem furtum grave commissum cum aduertentia ad præceptum diuinum de non furando, habeat malitiam aliquam inobedientiæ contra Deum, ratione cuius differat plusquam specie ab alio furto simili, quod committeretur cum sola scientia prohibitionis humanæ, & cum ignorantia invincibili totali prohibitionis, offensionis diuinæ: ex illo enim capite diuinæ inobedientiæ, & offensionis provenit malitia propria peccati mortalis, Theologicè loquendo, ut latius dixi *disputatione quinta de Incarnatione, sectione quinta*. Ergo absque inobedientia formalissima, quæ fiat ex contemptu, potest contrahi malitia essentialis inobedientiæ, sicut potest peccari contra reverentiam debitam, licet aliquis non operetur ex desiderio irreverentiæ, sed ex alio fine faciat id, quod re vera cedit in Dei, vel alterius irreverentiam.

248.

Adhuc tamen non videtur recedendum ab illa doctrina, nec concedenda diversitas specifica ex diversitate quacunque superioris: durum enim esset, & contra praxim communem obligare pœnitentem, ut quoties se accusat de furto, vel de fornicatione, explicet an illa peccata prohibita sint in illa provincia aliqua lege positiva humana. Aliundè ergo petenda videtur solutio huius difficultatis: pro qua aduerto, aliud esse quærere an peccatum habens malitiam inobedientiæ contra Deum & hominem, differat specie à peccato habente solum malitiam inobedientiæ contra hominem: aliud verò quærere, an peccatum habens malitiam inobedientiæ contra Deum, & hominem differat specie à peccato habente malitiam inobedientiæ contra solum Deum. Primum enim potest concedi propter argumentum proximè adductum, licet secundum negetur. Nam in peccato, quod est inobedientia contra Deum, inuenitur oppositio contra obedientiam debitam Deo, quæ ratione supremæ excellentiæ, & dignitatis diuinæ transfert illud peccatum ad aliam speciem longè superiorem: at verò, quod inobedientiæ diuinæ adueniat inobedientia contra hominem, parum addit; quia parum plus aduersatur regulæ rationis violare præceptum latum à Deo simul, & homine, quam violare præceptum latum à solo Deo: sicut & potestas ipsa præcipiendi, quæ est in Deo, & homine parum addit supra potestatem, quæ est in solo Deo: non ergo differt specie mortali malitia violationis præcepti Dei, & hominis à violatione præcepti solius Dei, quare licet violatio præcepti diuini deberet explicari, nisi aliundè nota esset confessario, violatio tamen præcepti humani non debet ex necessitate explicari, cum iam explicetur violatio præcepti diuini.

Dices: peccatum, in quo esset inobedientia solum contra præceptum humanum, haberet quidem aliquam speciem inobedientiæ per ordinem ad superiorem creatum, quam speciem non habet peccatum, quod est inobedientia contra præceptum diuinum solum: alioquin illa duo peccata essent eiusdem speciei moralis contra id, quod diximus: ergo peccatum, quod est contra obedientiam Dei, & hominis, differt specie à peccato, quod est contra obedientiam solius Dei: habet enim illam malitiam etiam, quam haberet inobedientia contra solum hominem, quam non habet inobedientia contra solum Deum: ergo debet explicari circumstantia præcepti humani: alioquin non explicatur tota malitia specifica.

Respondetur, concessio antecedenti, negando consequentiam; & ad probationem, nego peccatum, quod est contra obedientiam Dei, & hominis, habere illam malitiam specificam, quam haberet inobedientia contra solum hominem: nam malitia illa specifica non consistit in hoc, quod sit inobedientia contra hominem, sed quod sit inobedientia contra solum hominem, per quod differt specie ab inobedientia contra Deum simul, & hominem, quæ non habet talem malitiam, sed aliam, scilicet opponi præcepto diuino, & humano, quæ malitia non differt specie ab hoc, quod est opponi præcepto diuino: nam in genere moris, ut dixi, idem ferè est opponi præcepto diuino, ac opponi præcepto diuino, & humano, quia auctoritas, cui opponitur, eadem ferè est in utroque casu.

Sed contra hoc virgeri adhuc potest exemplum supra adductum: quando enim fit irreuerentia contra Deum, & hominem simul, differt specie ab irreuerentia, quæ fieret contra solum Deum, & debet explicari illa malitia in ordine etiam ad hominem: quia violatur ius non solum Dei ortum ab excellentia sua infinita, sed etiam ius hominis proveniens ab eius excellentia finita: licet excellentia finita hominis ferè nihil addat supra solam infinitam excellentiam Dei; ergo sicut irreuerentia contra excellentiam Dei, & hominis differt specie ab irreuerentia contra excellentiam solius Dei; sic inobedientia contra potestatem Dei, & hominis differt specie ab inobedientia contra potestatem solius Dei.

Respondetur negando consequentiam: ut autem explicetur à priori discrimen obedientiæ à cultu, & aliis virtutibus propter quod in aliis peccatis, quæ sunt contra Deum, & hominem, debeat explicari utrumque, non verò in violatione præcepti diuini simul, & humani: aduertenda est alia differentia, quæ est inter obedientiam, & alias virtutes, quæ sunt ad alium: nam illæ virtutes ita sunt ad alium, ut intendat formaliter bonum illius, ad quem sunt: Sic iniustitia intendit bonum proximi, & quod non spoliatur re ipsa, & ideo prohibet furtum: obsequantia item intendit reverentiam debitam proximo ob sui excellentiam: gratitudo remunerationem; & sic de aliis virtutibus, quæ ad hoc tendunt, ut proximum tueantur, & consequent in bonis suis, vel etiam augeant eius bonum. Obedientia verò ita est ad alium, scilicet ad superiorem, ut tamen magis intendat ultimum bonum subditi, quam ipsius præcipientis. Sicut enim præceptum ipsum debet ordinari ad bonum subditorum: ita & obedientia: datur enim, ut homo iuxta superioris præscriptum bene, & vtiliter dirigatur, & se dirigi sinat: cum ergo finis principaliter, & formaliter innatus non sit superior, aut eius bonum, sed bonum subditi, hinc est, quod ad diversitatem specificam præceptorum parum intersit diversitas præcipientium.



tium. Ad quod facit, quod in Philosophia dici solet, actiones non tam specificari ab agente, quam à termino; quia actio non respicit agens, nisi propter terminum, & in bonum terminum: ipsum verò terminum respicit propter ipsum. Sic ergo obedientia respicit superiorem propter bonum subditi, & ideo ex bono subditi, non ex diuersitate superioris specificari debet, licet alia virtutes, quæ sunt ad alium, specificentur ex diuersitate illius, ad quem referuntur.

353. Instabis, ex hac ratione sequi, neque etiam peccatum inobedientiæ contra Deum differre specie à peccato illo, quod esset solum inobedientia contra hominem: quia in utraque obedientia debet respici solum bonum subditi. Ergo quod præcipiens sit Deus, vel homo, non facit, quod illa duo peccata specie differant, contra id, quod supra dictum est. Respondetur negando sequelam: quia ex infinita illa excellentia Dei præcipiens resultat diuersitas etiam ex parte ipsius termini: est enim multò magis conueniens naturæ rationali sinere se dirigi, & gubernari à Deo infinite sapiente, sancto, potente, &c. quam à superiore creato: quare attendendo ad bonum ipsius subditi, inuenitur magna diuersitas, quando resistit præcepto Dei, aut præcepto solius hominis. Inter ipsos verò superiores humanos non inuenitur hæc diuersitas, quæ sufficit ad differentiam specificam obedientiæ, atque adeò sistendo intra terminos obedientiæ, non oportet explicare illam diuersitatem præcipientium. Dixi, *intra terminos obedientiæ*, quia aliquando inobedientia affert secum irreuerentiam contra superiorem, & tunc si irreuerentia sit grauis, debet explicari in confessione circumstantia præcepti humani ultra præceptum diuinum, ut explicetur irreuerentia grauis in hominem: hæc tamen irreuerentia grauis non semper, nec frequenter reperitur, præsertim quando violatur lex aliqua generalis, ignorante superiore, & non ex contemptu ipsius. Aliquando verò reperitur, ut si præcipiente tibi, & urgente superiore, tu ei impudenter resistas, & coram ipso præceptum violes: imò aliquando contingere possit, ut licet præceptum in vi præcepti non obliget grauius sub mortali, quia superior non vult sub mortali obligare: ipsa tamen irreuerentia subditi in violatione præcepti, vel ordinationis habeat malitiam grauem: ut si Prælati non præcipiunt in virtute obedientiæ, & sub mortali, sed tamen imponenti, ut aliquid facias, & urgenti pro executione, tu impudenter respondeas, *nolo facere*; poterit sapè esse peccatum mortale propter irreuerentiam grauem, quam verbum illud continet contra superiorem: de hoc tamen dicemus *infra disputat. 20. sect. 4.* agentes de casibus reservatis.

354. Secunda difficultas contra conclusionem oritur ex materia de voto: quia ille, qui habet votum ieiunandi hodie, & simul præceptum Ecclesiæ de eadem re; debet utramque obligationem explicare: ergo qui habet obligationem ieiunandi ex duplici præcepto diuerso, debet id etiam explicare. Respondetur negando consequentiam: quia circumstantia voti ponit ieiunium in alia specie, scilicet religionis, cui opponitur violatio voti. Secundum autem præceptum non transfert ad aliam speciem. Vnde obiter nota differentiam aliam in ordine ad confessionem, quod scilicet in violatione præcepti debet explicari materia præcepti, an esset verbi gratia, ieiunium, auditio Missæ, vel aliquid aliud, quod non requiritur explicari in violatione voti, sed sufficit dicere, Violaui votum in re graui. Ratio est, quia præceptum, cum tendat in bonum subditi, ut diximus, intendit formaliter honestatem virtutis, quam

P. Ioann. de Lugo de Penitentia.

præcipit, tendit enim ad hunc finem reddendi subditum bonum, & ideo constituit rem præceptam in specie illius virtutis, quam præcipit. At votum tendit formaliter ad cultum Dei, tanquam ad finem, ad quem assumit, ut medium id, quod promittitur: vnde omnia constituit in specie religionis, cui soli opponitur fractio voti.

Tertia difficultas est, quia aliquando ob violationem præcepti humani imponitur excommunicatio, quæ non incurritur propter violationem solius præcepti diuini; requiritur enim contumacia, & inobedientia contra Ecclesiam: ergo oportet explicare circumstantiam illam præcepti humani, ex qua adeo diuersus effectus oritur.

Cordoua in summa *quest. 11.* dicit simpliciter loquendo non teneri penitentem ad explicandam circumstantiam excommunicationis impositæ, sed sufficere explicare peccatum: quia non videtur specialiter prohibitus incursum excommunicationis, nisi quando fortè excommunicatio impediret excommunicatum ab aliquo faciendo, quod facere tenebatur, verbi gratia, à ministrandis Sacramentis, à celebrando, ab exercendo iudicio, &c. Tunc enim erat obligatio peculiaris vitandi illud impedimentum. Ceterum in ordine ad praxim raro continget, quod penitens possit tacere circumstantiam excommunicationis impositæ: quia nisi per ignorantiam excusetur, debet manifestare excommunicationem, ut ab illa absoluat: debet item procurare absolutionem ab excommunicatione, antequam absoluat à peccatis: ergo debet manifestare peccatum, ob quod contraxit excommunicationem, & per consequens prohibitionem humanam: debet enim dicere in particulari inobedientiam, ob quam fuit excommunicatus. Solum posset deferui- re illa doctrina, casu, quo aliquis extra Sacramentum absolutus iam fuisset ab excommunicatione lata ob furtum, verbi gratia, postea verò quando confitetur, non oportebit explicare excommunicationem contractam, à qua iam est legitimè absolutus, sed sufficere confiteri furtum, & dilationem culpabilem restitutionis.

Ex doctrina tradita inferitur primò violentam ieiunium, quod duplici titulo debetur, scilicet propter vigiliam alicuius Sancti, & propter quatuor tempora, non debere explicare illos duos titulos, sed dicere, Violaui ieiunium præceptum. Item qui omittit Missam die Dominica, quia occurrit festum alicuius Apostoli, non tenetur explicare illum duplicem titulum obligationis; ut cum communi Doctorum, quos refert, docet Sanchez *dicta disputat. 15. numero 6.* Ratio autem est, quia utrumque præceptum tendit ad eandem honestatem formalem, scilicet ad honestatem religionis in obseruatione festi, & ad honestatem temperantiæ in ieiunio. Nam licet illo præcepto intendat etiam Ecclesia cultum, & honorem illius Sancti; id tamen remotum est: quod enim præceptum immediatè intendit, est, quod subditi exerceant actum temperantiæ, vel religionis; hoc autem ipsum ordinat Ecclesia, ut illas piis operibus subditi aptiores sint ad colendum Sanctum, qui tamen non est finis ipsius præcepti, sed præcipientis, & extrinsecus, atque ideo non dat speciem violationi præcepti.

Infero secundò, quid dicendum de coniugato peccante cum coniugata, vel de religioso peccante cum religiosa, de quibus aliqui dicunt sufficere explicare speciem adulterij, vel copulæ sacrilegæ, absque eo, quod explicetur id provenire ex parte utriusque. Communiter tamen in utroque casu negant Doctores sufficere, sed dicunt debere

E e explicari

256.

An debeat explicari circumstantia excommunicationis.

257.

258.

In adulterio an debeat explicari coniugium utriusque.



explicari statum utriusque: cuius rationem Sanchez, Vasquez, & Salas *locis citatis*, cum aliis deducunt ex eo, quod fiat duplex iniuria in adulterio duabus personis, scilicet coniugibus utriusque: & rursus quod fiat duplex iniuria Deo in copula utriusque sacrilega violando duas personas Deo sacras. Quæ quidem ratio non potest subsistere in sententia eorum, qui ex sola pluralitate numerica obiectorum non agnoscunt plures malitias in eodem actu. Melior ergo ratio reddi potest dicendo illas duas malitias non differre solum numero, sed specie, & ided debere utramque explicari: quia diuersa specie obligatio est, qua ego debeo obseruare votum meum, verbi gratia ab ea, qua debeo non procurare, quod alter violet votum suum, sicut diuersa specie obligatio est, qua debeo esse castus ab ea, qua debeo non esse causa alteri, quod peccet contra castitatem, vt dixi supra *sect. præcedent. numero 151*. Debet ergo religiosus explicare votum suum, & votum complicitis, vt explicet, se violasse votum suum, & fuisse causam, quod alter violaret etiam suum votum. Similiter adulter debet explicare se peccasse cum coniugata: quia diuersa obligatio in specie est, qua ipse debet non violare suum matrimonium, & qua debet non procurare, quod alter violet suum, quam duplicem malitiam non potest explicare, nisi explicet statum suum, & statum feminae, cum qua peccauit.

*§. 3. Explicantur alie differentia obiectiua, an sint specificæ, & exprimenda, an solum materiales.*

259.  
De odij.

EX doctrina tradita descendemus nunc breuiter ad alia exempla particularia, de quibus, in praxi solet dubitari, an illæ circumstantiæ obiectiue sint declarandæ. Quartò ergo dubitari solet de peccato odij, an in eo sit declarandum malum proximo desideratum; an sufficiat dicere, ex odio desideravi ei malum graue, non declarando, an mortem, infamiam, vel paupertatem, &c. Non est autem sermo, quando desideravi inferre illud malum: tunc enim certum est voluntatem auferendi famam differre specie à voluntate occidendi: sed sermo est, quando odium sistit in mero desiderio, quo vellem illi ea mala aliundè euenire, quia mala eius sunt.

Afferunt multi declarandum esse malum quod ex odio desideratur. Suarez *disp. 6. de Charit. sect. 2. Syluius ibi quest. 34. quesito 2. P. Coninx ibidem dispnt. 29. dub. 3. num. 61.* & alij: quia sicut voluntas occidendi differt specie à voluntate diffamandi; sic dicendum videtur de desiderio mortis, & desiderio infamiæ.

260.

Alij tamen negant debere declarari illud malum, quod desideratur. Valentia 3. *tom. disput. 3. quest. 11. punct. 2. tract. 3. cap. 6. conclus. 8.* Lufius Turtianus 2. 2. *disp. 91. de Charit. at. dub. 1. in fine.* Petrus Lorca *ibi quest. 34. art. 3.* Bonacina in primo *præcepto decalog. disp. 3. quest. 5. punct. ultimo. §. 1. num. 10.* Homobonus de bonis in *examin. Eccles. part. 1. tract. 6. cap. 25. quest. 112.* Diana 1. *tom. tract. de circumstant. aggravant. resol. 30.* & alij; quorum sententia probabilis est.

Ratione probari solet; quia omnia illa tendunt ad eundem finem, & in malum illius, quem odio prosequimur. Vnde sicut amor non est diuersus specie propter diuersa bona, quæ amico volumus; sic neque odium propter diuersa mala, quæ volumus inimico. Hæc tamen ratio difficilis est. Primò, quia

illa mala in rigore non tendunt in finem, quia non assumuntur, vt media ad alium finem; sed potius ipsa sunt quasi finis; desideras enim inimico mortem, quia malum eius est, sistendo ibi, nec referendo ad alium finem. Vnde retorquetur exemplum amoris: quando enim desidero amico honorem, quia bonum eius est, honor non refertur in alium finem distinctum ab ipso honore, sed amatur, vt finis, qui; amicus verò, vt finis cui: quare uterque amatur vt obiectum formale, & per consequens uterque specificat actum: ergo odium etiam non solum specificatur à persona, cui malum volumus, quæ est quasi finis cui, sed etiam à malo, quod desideramus, quod est quasi finis qui; illius odij. Secundo, quia si illa ratio probaret, probaret etiam de affectu, quo non solum desideramus, sed volumus inferre malum proximo, non differre specie, pro variatæ mali, quod volumus inferre: quia omnia illa mala tendunt ad eundem finem nocendi inimico: ergo sicut affectus iuvandi amicum, quia amicus est, non differunt inter se specie pro diuersitate boni, quod amico volumus afferre: sic nec affectus, quibus volumus nocere. Consequens autem est manifestè falsum: nam voluntas occidendi inimicum differt specie à voluntate diffamandi illum, vel lædendi in bonis fortune.

Aliundè potest reddi ratio, vel eadem aliter explicari: & in primis fateor illos affectus, quibus desideratur proximo infamia, vel mors, quatenus talia mala sunt, differre specie physica inter se propter diuersitatem obiecti formalis partialis, nempe mali voliti, vt probat argumentum modò factum; cum hoc tamen stare potest, quod de facto affectus odij, quibus desiderantur ea mala, non differant specie morali, quia licet mala illa sint valde diuersa, & sufficerent ad specificandas diuersas virtutes, & vitia si desiderarentur, vt talia sunt: in nostro tamen casu non sufficiunt, quia non desiderantur, nec attenduntur, quatenus talia sunt, sed quatenus sunt malum proximi, cui desideratur paupertas ex odio, quia malum eius est, sub qua etiam ratione desideratur infamia, ægritudo, mors, &c. Cum ergo differentia talis mali materialiter se habeat in ordine ad odium, non mirum, quod in ratione peccati non specificetur à differentia specifica talis mali, sed à ratione communi mali, quam formaliter intendit.

Vegebis, quia voluntas nocendi proximo in peccatis differt specie morali à voluntate nocendi in fama, vel corpore, licet terminentur ad mala illa, quia mala sunt, & non quatenus talia mala; ergo & desideria eorum malorum possunt specie differre, licet non terminentur ad illa, quatenus talia mala sunt. Respondetur negando consequentiam. Ratio verò desumitur ex differentia inter affectum efficacem, & inefficacem: nam voluntas efficax accipit malitiam specificam ex obiecto, etiam materialiter volito; quia ratione illius opponitur sufficienter virtuti speciali præcipienti vel prohibenti talem actum, verbi gratia, iustitia prohibet lædere Ius proximi in fama: huic virtuti aduersatur, qui vult lædere famam, licet id solum materialiter velit, sed ipse non vult illam lædere: peccat tamen contra charitatem, quæ prohibet velle malum proximo.

Ratio autem, cur non detur specialis virtus prohibens desiderium infamiæ alienæ, sed solum in genere prohibens desiderium mali alieni, illa reddi potest, quod ex parte proximi est specialis indigentia suæ famæ, & speciale ius ad illam.